

um noscant & timeant, ut non sint ita  
docti. Judicat præterea, Christianos, si  
de universo mundo, adeoque de angelis  
rebellibus sententiam laturi sint, longe  
magis idoneos esse, ad lites & controver-  
sias inter proximos ipsorum dirimendas.  
*Secularia igitur judicia, inquit, si habueritis,*  
*contemptibiles qui sunt in ecclesia, illos constitui-*  
*te ad judicandum. Ad verecundiam vestram di-*  
*co. Si non est inter vos sapiens quisquam, qui possit*  
*judicare inter fratrem suū? Sed frater cum fratre*  
*judicio contendit: Et hoc apud infideles. Hoc au-*  
*tem revera est contendere coram infideli-*  
*bus, barbaris & profanis, eosque contro-*  
*versiarum nostrarum judices facere, si in*  
*omnibus quæstionibus & difficultatibus*  
*nostris ad legem aliquam Codicis recurra-*  
*mus, conditam à tyranno omnium fortas-*  
*fis deterrimo, & maxime infami: quæ res*  
*pagano etiam Imperatori Opilio Macrino*  
*indigna visa est, quemadmodum supra di-*  
*ximus. Et D. Hieronymus in epistola ad*  
*Oceanum de divortio ex causa adulterii*  
*loquens: Aliæ, inquit, sunt leges Cæsarum, a-*  
*liæ Christi; aliud Papinianus, aliud Paulus noster*  
*præcepit. Et Lactantius Firmianus libro*  
*quinto de Justitia c. ii. ubi detectur aliquos*